

Johann Quistorp Fridericus Augustus Radiginius

Disputatio Theologica, De Impletione Legis

Rostochii: Kilius, 1642


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737815027>

Druck Freier  Zugang



Vent.: F. A. Radigunius

Joh. Christian / a
R. U. theol. 1642.



Σὺν Θεῷ

62.
Disputatio Theologica,
DE
IMPLETIONE
LEGIS,

Quam

D. T. O. M. A.

In celeberrima Rostochiensis
Academia

SUB PRÆSIDIO

Magnifici Dn. RECTORIS,

VIRI

Reverendi admodum, Clarissimi, atque Excellentissimi

DN. JOHANNIS QVISTORPII,

S.S. Theologiæ Doctoris celeberrimi, ejusdem

Professoris Publici, & Facultatis Senioris venerandi, Præ-
ceptoris, Fautoris, ac Promotoris plurimum
colendi,

Publico examini subjicit

FRIDERICUS AUGUSTUS RADIGINIUS,
Slesvicensis.

Illustrissimi Cymbrorum Ducis Alumnus,

AUTOR & RESPONDENS.

Habebitur in Auditorio Majori ad diem 26. Aprilis.

✽(o)✽

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno M. D. C. XLII.

1642

52





JOVA JOVA.
SECTIO PRIMA

πρόσθευ.

THESIS I.



Uod de Davide Adolescente nul-

li pietate, & virtute secundo, Spiritus S. memorat *1. Sam. 17. 39* id, si rem ad pii iudicii lancem expendimus, non inconcinnè ad nostri instituti rationem accommodare possumus. Quemadmodum enim is galeam Saulis indutus cū Goliatho congredi detrectabat; sed abjectâ illâ fundam pastorem arripiebat. Ita post luctuosissimum, cheu! Parentum nostrorū lapsum, Legis divinæ jugum, exactionis rigorem & damnationis terrorem neque nos, neque Patres nostri portare valuimus *Act. 15. 10.* sed quoties cum infestissimo generis humani hoste fuit consilendum, projectâ Legis galeâ fundam fidei cum Davide arripere necessum habuimus. Unde meritò deliria hulmanæ rationis explodenda, quæ contra clarissimam Scripturæ S. lucem, sublati liberi pro hoc statu arbitrii viribus, perfectissimam implendæ Legis facultatem tribuit. Hanc itaque opinionem ut depromptis ex myrothecio Sacrarum Literarum rationibus infringamus, doctrinamq; de *Legi Impletione* rebus copiosissimam, usu fructuosissimam, & argumentis intrinsecam partem referatissimam à fermento argutiuncularum humanarum purgemus, pro ingenii nostri capacitate annitemur.

II. Methodus, quâ uti pro tempore animum induximus, hæc est: Primò formato inter nos, & Scholam Pontificiam *controversia statum*, *Thesin*, & *Fundamenta* Romanensium in medium adducemus. Deinde recto pede ad illorum *argumenta*, iisq; à nostra parte oppositas *Responsiones* progrediemur. Tandem *orthodoxam veritatem* rationibus cū ex Scripturâ tum Natura adstruemus.

A 2

III. Ne

III. Ne verò Æquivocatione, quæ Philosophis errorum genitrix dicitur, facillè quis fallat, aut fallatur, terminorum enodationem statui quæstionis permittamus.

III. *Renatus* itaque, quod facillè nobis Adversarius largitur, est *homo pius*, & verè credens ex verbo. 1. Pet. 1. 23. qui lavacro *πυλιγγυεσσίας* & *ἀνακλινώσεως* initiatus Tit. 3. 5. sanguine Christi à peccatis emaculatus, & Spiritus S. donis instructus Deo servit in sanctitate, & iustitia Luc. 1. 75.

V. Tò *implere* non mitiori (quod Pontificii intendunt) vocabulo est exprimendum, quasi sufficiat *externè* tantum *præcepta* morum, *Pharisæorum observare*; aut instar subditi Regii sedulo cavere, ne quid contra mandata *externè* committamus, hoc enim non est controversum. Quin potius *omnibus numeris absoluta perfectio* requiritur, ut, quemadmodum vasa infuso liquore ad summa labra exuberant, sensus, & intellectus, voluntas, & facultas nostra Legem divinam impleat.

VI. Per *Legem* utrinque intelligimus non *Ceremonialem*, & *Forenses*; sed *Moralem*, per quam illi non nisi spontaneam obedientiam ex delectatione mentis, & consensu voluntatis præstandam intelligunt, verùm ita dissensus inter nosse nequit. Nos ergò *Legem in summo suo rigore* tam quoad externos mores, quam inter nos affectus hic capimus, eamq; impletu impossibilem asserimus.

VII. Ex his facillè etiam constabit, tò *perfectè* includere *perfectiōnem* & *partium*, & *graduum*: quia non uni tantum, aut aliquibus, sed omnibus, & singulis Dei mandatis obsequium debemus; præterea omnium virium, motuum, & affectuum perfectissima, & cum mente divinà exactissimè congruens requiritur integritas, in qua nihil rigor Legis desiderare, nihil livor Diaboli fugillare possit. Paucis Lex à nobis exigit *perfectiōnem* 1. *subjectivam* ut secundum corpus, & animam, & affectus, Deum, proximumq; diligamus 2. *objectivam* ut omnia mandata servemus. 3. *Adjunctivam* ut ratione temporis interruptè, ratione quantitatis eminentissimè, ratione qualitatis intensissimè diligamus.

VIII. Non ergò hic cardo controversiæ vertitur in eo: N. *An homo ante lapsum perfectam Legi obedientiam præstare potuerit?* quis enim

enim hoc inficiabitur, qui considerat, ipsum creatum esse ad imaginem Dei, quæ nihil aliud fuit quam conformitas intellectus cum Dei sapientiâ, voluntatis cum Dei justitiâ, appetitus cum Dei castitate, & ἀντιστοιχία. Quam facultatum omnium harmoniam si in-violatam in posteros Adam transtulisset, non esset quod jam de-
sublata implendæ Legis potestate conquereremur.

IX. Nec, 2. *Utrum homo post lapsum ex se, & sui viribus Legi di-
vine satisfacere possit?* illud enim ut Pelagianum, propter corruptæ
naturæ labem omninò negamus.

X. Nec 3. *An à renato Lex secundum absolutam Dei potentiam ita
impleri possit, ut in vita per Dei gratiam sit immunus à peccatis.* Hic
enim valet illud Augustini l. 2. de peccat. merit. Si queratur, utrum
in hac vita aliquis sit sine peccato, esse non credo, magis credo Scriptu-
ra, ubi Sanctorum vox: Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos
seducimus, & veritas in nobis non est. Nec Deus propter suas causas
naturæ vitiatæ pharmaco gratiæ suæ ita mederi vult, ut ad omnibus
numeris perfectam impletionem contendere queat.

XI. Nec, 4. *An regentis possit dici implere Legem imputativè, &
inchoativè, perfectione partium pro statu Viatorum.* Quorsum alias
in Sacris tot Sanctorum exempla exstarent, qui laceratis justitiæ prop-
riæ pannis abjectis, obedientiæ, & satisfactionis Christi purpurâ
nuditatem suâ regentes Deo ἀνευ δόλης, καὶ ὑποκρίσεως servierunt?

XII. Nec 5. *An cum auxilio divino Legem observare, externa Le-
gû opera, eaq; bona prestare possit.* Hoc enim non negamus, quin ad
obedientiam, & gratitudinem erga misericordem Patrem in cælis
demonstrandam necessarium esse affirmamus.

XIII. Sed, 6. In hoc potissimum status quæstionis versatur: *Utrum
homo renatus tantâ plenitudine, & mensurâ gratiæ in hac mortalita-
te instruatur, ut illâ adjutus, toto corde, totâ animâ, & totis viribus, per-
fectione graduû, totaliter, & perpetuò, sine interruptione & cessitatione,
absque omni concupiscentiæ motu, & affectu Legem Moralem prestare
possit, faciendo quæ in illa jubentur, & fugiendo quæ in eadem probi-
bentur, ita ut ne tantillum ab exactissima ejus obedientiâ deflectat, at-
que enormet.* Negant id Orthodoxi; Affirmant Pontificij.

XIV. Assertionis suæ fundamentum ponunt. (α) *in bonitate &
misericordia Dei*; unde fieri non posse autumant, ut summum illud

bonum Deus ea à nobis poscat, quæ in viribus nostris non esse optimè novit. Sed tantùm abest, ut bonitati, hoc ipso, divinæ quippiam decedat, ut illustrior inde evadat, quippe repetit à nobis, quod primis parentibus, atque in illorum persona naturæ, & sic etiam omnibus posteris concesserat. (β) *In naturâ, & proprietate Legis*, cui adversari putant obligare ad ea, quæ in manu nostra non sunt. Hoc autem licet ob libertatem arbitrij de divinis ante lapsum, & de humanis post eundem affirmemus, de statu tamen hominis corrupto negare cogimur: non enim per lapsum nostrum Lex internam suam naturam, sed nos implendi facultatem amisimus. (γ) *in peccatis venialibus*, quibus Nomen divinum non offendi tantoperè ajunt, ut propterea à regno calorū exclusi æternam damnationem mereamur: hinc κατά μέγιστον sanctorum delicta nævulos quotidianos vocant. Sed, ut ut hoc respectu fidei in Christū veritati adlites, ex se tamen omninò falsum est, peccata namque non ex imbecillitate subjecti, sed ex pacto Legali sunt æstimanda.

SECTIO SECUNDA.

ΑΝΑΣΚΕΥΗ

XV. Pro Affirmativa pugnaturus Bellarminus l. 4. de Justif. c. 11. 12. 13. argumenta sua in tria agmina dispescit, quorum *primum* tanquam caput reliquorum *S. Scriptura: secundum Ratio Sacrarum Literarum subsidio nixa: tertium, & ultimum, Ecclesia primitiva* venerabili sanctorum Patrum corona supata ducit.

XVI. Ex *Scriptura* autem triplicis generis argumenta desumit: *Primum* à dictis quæ innuunt facilitatem, & possibilitatem implendi Legem. Sic ex *Matth. 11. 30. Jugum meum suave est, & onus meum leve est*, probare intendit, Legem Dei esse impletu facilem. Quam verè autem hoc inde fluat, vel ipse textus docet, in quo Christus respicit partim *ad onus peccatorum*, à quo serio pœnitentes, veraq; fide meritum suum amplectentes levare gestiebat. Partim *ad onus miseriarum, & afflictionum hujus vitæ*, quod secundum carnem viventibus *Ætñâ* gravius, secundum spiritum autem incedentibus levissimum juxta, & suavissimum est, idq; propterea, quia Christus maximam oneris partem succollavit, nobisq; sub pondere carnis gemen-

gementibus Spiritus S. auxilium, liberationis tempeſtivæ ſolatiū,
& æternæ compenſationis præmiū promiſit: Hinc *Auguſtinus*
homil. 9. de verb. dom. inquit, omnia, quæ aſpera, & gravia videntur,
in Schola Chriſti, facilia ſunt, propter præſidium, & efficaciam Spiritus
S. qui ſublevat infirmitates noſtras. Partim ad *onus Moſaicarum*
Ceremoniarum Gal. 5. 1. & Phariſaicarum Traditionum quas Salva-
tor adventu, & doctrina ſua ſuſtulit. Et ſi vel maximè jugum illud
de doctrina Chriſti explicetur, non tamen ſimpliciter ita dicendum
eſt; ſed cum reſpectu *ad Legem*, quæ eſt jugum oneris *Eſa. 9. 4. &*
jugum importabile Act. 15. 10. tum etiam ratione *mortificationis*
carnis, quæ homini gravis, & ſine dolore fieri nequit. Interim do-
ctrina Chriſti non tantum Legem, ſed & Evangelium comprehen-
dit, cujus reſpectu iterum *ſuave, & leve* dicitur propter *aſiſtenti-*
am Spiritus S. & demenſum crucis viribus noſtris proportionati. 2. Cor.
10. 13.

XVII. Deinde obvertit & illud *1. Job. 5. 3. Mandata ejus gravia*
non ſunt. Sed Apoſtolus cauſam facilitatis præſtandorum præce-
ptorum ſubjungens: *ὅτι πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς θεῆς νικᾷ τὸν*
κόσμον non nudè; & crudè dictum hoc capi vult; verum reſpectu
renatorum, quæ renatorum, quibus imputatione perfectæ obedi-
entiæ Chriſti, inchoatione vitæ novæ, Spiritus S. auxilio mandata
Dei levia redduntur. Quamvis hanc ſuam renovationem, tan-
quam omnibus partibus abſolutam impletionem ante Dei tribu-
nal afferre non poſſint, ſed defectus, infirmitates ac ſordes quasvis
interceſſione Chriſti deprecari cogantur: *Gratiâ* namque *Dei tri-*
buit in hæc vita ſtudioſè præcepta ſervandi, & eadem, ſi quid in illis
præceptis minus ſervatur, ignoſcit. *Auguſt. Ep. 3. ad Bonif. c. 7.* Gra-
via igitur *non ſunt in ſe*, quia olim præſtari potuerunt; ſed propter
adherentem labem *ex Accidenti* graviffima facta ſunt; *non renatis;*
ſed irrogeniti, reſpectu *iræ* atque æternæ damnationis.

XVIII. Nec moramur hic obſtrepentem Adverſarium: illam
non imputationem peccatorum ob *λύτῳ* Chriſti vel tollere ipſius
Legis obligationem, ut prævaricator non incurrat reatum, quod
eſſe nequit; quia ſic lex non eſſet lex, nec jugum jugum: vel tollere
reatum ex prævaricatione jam contractum, atque ita falſò Scriptura
Legem

Legem diceret iugum suave, cum potius ostenderet esse durissimum. Resp. distinguentes inter *obligationem ipsam*, quæ Legi propria est, & perpetua, & inter *obligationem rigorosam*, à qua, intercedente Christi merito, renati sunt liberati, unde nec reatum actualem, cui, si Deus κατ' ἀναβόδιον cum ipsis agere vellet, aliàs subjicerentur, incurrunt, sed potius reatus illè, antequam contrahatur, & ne contrahatur, in ipsis tollitur.

XIX. Has autem modò adductas rationes firmioribus columnis sustentare conatur Bellarminus 8. ex Ps. 119. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri*: ubi propter cordis, seu (quod idem ipsi est) gratiam infusam Davidi perfectam Legis impletionem, quam ne somniavit quidem, ascribit: Quod enim in Fonte per *Futurum* (פִּתְּוֹן) effertur, ille vel vitio vulgatæ versionis, vel fucum incautis faciendi gratiæ per *Præteritum* reddit. Unde à studio, & voluntate ad effectum, & facultatem argumentari inconsequens est. Et ipse Regius Vates sibi non constaret, quando toties remissionem peccatorum à Deo in Psalmis suis 32. & 51. &c. efflagitat.

XX. 2. Ex Philipp. 4. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat sc. Christo*. Hic iterum Bellarminus μετὰ παράνοιας ad Legis Impletionem trahit, quod Apostolus restrictè de moderatione in prosperis, & adversis intelligit. Verba igitur accipienda sunt *secundum subjectam materiam*, ne (quod dicitur) nodum in scirpo quæramus. Deinde si vel maximè paulò generalius illa essent explicanda, sensus inde emergeret reduplicativus, hoc modo: *Omnia, quæ, & quatenus possum, in Christo, qui me confortat, possum, cui consonum est illud 1. Cor. 15. 10. Χάριτι Θεοῦ ἐμὴ, ὃ ἐμὴ. & 2. Cor. 3. 5. Non sumus idonei cogitare quicquam ex nobis, tanquam ex nobis, sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est.*

XXI. 3. Ex Ezech. 36. 27. *Ego faciam, ut in præceptis meis ambulati.* Ubi Prophetæ sermo non est de effectu (quemadmodum sine ratione crepant Pontificii) sed promisso, non de absolutò, & legalis; sed inchoata, & Evangelica venatorum obedientia: Unde Resp. non probari quod in Quæstione est, fuisse sc. qui præter Salvatorem (quem solum, & semper exemptum volumus) exactissimum Legis divinæ rigorem sustinere, & implere potuerint.

XXII. De-

XXII. Denique luce clarius est, quod urget Bellarminus ex Ep. ad Rom. 8. 1. *Nulla damnatio est in his, qui sunt in Christo Jesu, non quia non imputatur prævaricatio; sed quia illi non secundum carnem ambulant, & quia per gratiam Dei fit, ut justificatio impleatur in ipsis.* Verba enim illa (qui non *κατὰ σάρκα* ambulant) *non dicunt causam, cur maledictio in ipsis locum non habeat, sed describunt eos tantum qui non sunt sub maledicto. Altera verò ejusratio non contrariatur nobis; nam in his impletur justificatio Legis, quibus non imputatà prævaricatione obedientia Christi fide applicatur.*

XXIII. *Secundam argumentorum Classem* petit ex locis, quæ agunt de dilectione Dei & proximi. Rom. 13. 8. *qui proximum diligit, Legem implevit.* Item Gal. 5. 14. *Omni Lex in uno sermone impletur: ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἐαυτὸν.* Unde evincere satagit, nos Legem implere posse, quia debemus, & possumus Deum proximumq; diligere. Sed *præus ex debito*, quo Deo sumus obstricti, *largimur, posterius autem in viribus nostris esse negamus*: non enim, qualiscunque, & quantulacunque dilectio normæ Legis divinæ satisfacit, sed *talis & tanta*, quæ ne minimâ imperfectione laborat, quæ insitam, & amaram cupiditatis radicem omninò non sapit. Ludit igitur Antagonista *fallacia Compositionis, & Divisionis* conjungendo ea, quæ simul vera in hoc statu esse non possunt. Addimus dilectionem *in se, & abstractè, non verò concretè, & in subjecto* Legem implere: vitium enim corruptæ naturæ adhærens non admittit eum dilectionis gradum, quem Legis *ἀνεπιβία* urget. Hujus imbecillitatis memor Deus Opt. Max. nobiscum dispensat, dum nihil amplius exigit, quam ut præviâ obedientiæ Christi imputatione hic in via sincerè diligere incipiamus.

XXIV. Nec à sede nos deturbant reliqua Bellarmini dicta, quæ pro sua sententia stabilienda promittit ex Job. 13. 35. *In hoc cognoscunt omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* & Job. 15. 14. *Vos amici mei eritis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis: præcepi autem vobis v. 12. ut diligatis alii alios, prout dilexi vos.* At quæ hic collectio? discipuli Christi debent imitari dilectionem Christi, ergò possunt eandem penitus exprimere, & ceu vivis coloribus

B

loribus representare: quomodo à præcepto ad complementum legitima necitur sequela? Quid quod dilectio nostra ostendat quidem; sed non efficiat nos Christi amicos, atque ita non merito nostro, sed gratia Dei amici Christi dicimur, qui nos ad respondendum mutuo charitatis studio invitat.

XXV. Instet ergò Bellarminus, Deum, cum dilectionem præcipit, nihil requirere, nisi ut diligamus ex toto corde; at hoc non solum posse fieri, sed etiam fuisse facturum testatur scriptura *Deut. 30. 6. Circumcidet dominus cor tuum, & cor semini tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Quæ verba si accuratius secundum normam S. Scripturæ examinemus, & cum locis parallelis conferamus, inveniemus certè, quod id ex toto corde partim *pro obedientia perfecta* sine omni concupiscentiæ, & peccati macula: partim *pro dilectione vera, & sincera* sine fuco, & simulatione sumatur. Prior acceptio obtinet in præcepto, estq; de qua nemo naturalem mali scaturiginem, & fomitem in se deprehendens sibi hæcenus gratulari potuit. Posterior in exemplo, quando vel sermo est ad renatos; vel ἀνοπώματα diligendi studium in iisdem commendatur; quo sensu & hic accipimus, etiam si Bellarminus contra excipiat, velut sequitur.

XXVI. Non negari à se, dilectionem in hac vita imperfectam esse, cum possit crescere, & major sit futura in patria: id autem vero simile non videri, quòd in hac vita non possit esse perfecta, sic enim amici, & discipuli Christi esse non possemus. Quamvis huic, & alijs objectionibus satisfactum esse non dubitemus, addimus tamen ex Augustino Ep. 29. ad Hieronym. *Quamdiu caritas augeri potest, profectò illud, quod minus est, quàm esse debet, ex vitio est, ex quo vitio non justificabitur coram Deo omnù vivens, propter quod vitium, si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus.*

XXVII. Nec obtinet quicquam præceptis, & exemplis illis Scripturæ, ex quibus perfectam Legis impletionem possibilem esse probare annitur *Gen. 6. 9. Noah vir justus fuit, atque perfectus. Gen. 17. 1. Ambula coram me, & esto perfectus. Matt. 5. 48. Estote perfecti. Matt. 19. 21. Si vis esse perfectus, &c.* Micà distinctionis, nodus, quem ille putat Gordium, dissolvitur: Scripturam sc. quando mentionem facit
perfecto.

perfectionis, non intendere absolutam, & graduum, quam in nemi-
ne, nisi Adamo ante lapsum, & Christo Θεανθρωπῶ post lapsum
invenit; sed conditionatam, & partium, id est, serium, ac sincerum
studium obediendi Deo secundum præcepta hic inchoativè, illic
consummativè. Atque talis perfectio etiam in allegatis locis præ-
cipitur, & commendatur in viris sanctis, qui quoad potuerunt, vi-
tam duxerunt ἀμεμπτοι, καὶ ἀκέραιοι ὡς τέκνα Θεῶ, ἀμώμητοι ἐν
μέσῳ γενεᾷς σκολιᾶς, καὶ διεσραμμένης. Phil. 2. 15.

XXVIII. Tertium Argumentorum genus Antagonista depromit
ab exemplis eorum, qui Deum ex toto corde dilexerunt, & quidem
ex Veteri Testamento (α) Davidem producit ita Ps. 119. 10. loquen-
tem: *In toto corde meo quaesivi dominum*: Quæ verba Spiritus S. re-
petit 3. Reg. 14. 8. *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit
mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placi-
tum esset in conspectu meo.* Item 3. Reg. 15. 5. *Eo quod fecisset David
rectum in oculis domini, & non declinasset ab omnibus quæ præceperat
ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uria.* (β) Josiam 4. Reg.
23. 25. *Simili non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad dominum
omni corde suo, in tota anima sua, & in universa virtute sua.* 2 Paralip.
15. 15. *In tota voluntate suâ quaeserunt, & invenerunt* (δ) Josuam
I. ipsius 6. 11. 15. *Non præterit de universis mandatis, nec unum qui-
dem verbum, quod jussit ei dominus Moysi.*

XXIX. Hos omnes autem gravissimis peccatis se polluisse ne-
mo ignorat, nisi qui peregrinus est, & hospes in Sacris Literis: Un-
de mirum sanè est, Pontificios ad evincendam Legis Impletionem
illorum exempla citare, qui lacrymis, & suspiriis carnis suæ infirmi-
tates Deo, mundoque sunt confessi. Præterea in allegatis dictis ni-
hil aliud est, quàm specialium actuum, & facinorum commendatio.
Davidem enim cæde, & adulterio insignem ut prætereamus, dicimus,
Josiam quidem abrogando idolatriam, & ardentiori præ cæteris
Regibus affectu cultum divinum instaurando juxta omnem Legem
Mosis fecisse, interim tamen longè adhuc à totali perfectione ab-
fuisse, quemadmodum videre est ex bello, quod præter necessita-
tem, & mandatum Regi Ægyptio movit. *Asa*, licet sublata superflui-
tione idololatrica fecerit, quod rectum in oculis domini fuit, excelsa
tamen

tamen toleravit, Regemq; Aram, & Medicos auxilio Jehovahæ prætulit: Adhæc in Prophetam contra jus & æquum carcere sæviit, unde à crimine excusari nequit. *Josua* exemplum impertinenter allegatur; Agitur enim ibi de Lege Politica, seu de Cananæorum deleatione, terræq; promissæ distributione. Anne quis inde ipsum totam Dei Legem implevisse, & ad summum perfectionis cacumen pervenisse salva Scripturæ, & conscientiæ veritate colliget?

XXX. In Novo Testamento provocant (1) ad Zachariam & Elisabetham, de quibus *Lucas c. 1. 6.* prædicat, quod fuerint *justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus domini sine querela.* (2) Discipulos, quos Christus *Job. 17. 6.* sermonem Dei servasse ait. (3) Paulum ita *Rom. 16. 17.* conquerentem: *Quod nolo facio, si autem quod nolo, facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, & v. ult. Ego ipse mente servio Legi Dei.* Ut unâ fideiâ duos dealbemus parietes, respondemus ad primum, & secundum exempla: justos eos dici non idèò, quòd perfectè Legem Dei impleverint, & omnis peccati expertes fuerint; sed (a) *justitiâ Christi imputata*, quod liquet ex cantico Zachariæ beneficia Dei gratissimo animo persequentis, scientiamq; salutis in remissione peccatorum collocantis. (b) *justitiâ inchoata*, quod ex majõri parte virtutum commendenrur. (c) *justitiâ externa*, quod sine querela inceserint in omnibus mandatis Dei. (d) *justitiâ non fictâ, aut affectatâ*, sed vera illâ, & ex ima animi mente profectâ: quo sensu & Apostoli sermonem Dei servasse dicuntur, qui si solus Legi divinæ satisfecit, quomodo reliqui irreprehensibiles, quomodo vanitate cogitationum, & pravitare affectuum offensam Dei non incurrerent. Ad tertium dicimus, tantum abesse, ut Paulus se eximat à grege peccantium, ut se maximum peccatorem, & sub peccato venundatum profiteatur, deq; corruptæ naturæ vitiositate, quam hîc loci *cupiditates* actuales operantem vocat, gravissimè conqueratur. Deinde Bellarminus tria hîc præsupponit, quæ nullo ipsi jure possumus concedere (a) quòd peccatum non sit nisi voluntarium. (b) quòd concupiscentiam tantum ad sensum referat (c) quòd Legem non toti personæ; sed huic aut illi potentiæ datam esse statuat. Quare hoc *D. Hieronymi*

*l. i. Dial. adv. Pelag. dicto concludimus. Aut da exemplum, qui
absque peccato fuerit, aut si dare non potes, confitere imbecillitatem
tuam, & noli ponere in calum os tuum, ut per esse, & esse posse stulto-
illudas auribus. Quis enim concedet tibi fieri posse, quod nullus un-
quam hominum potuerit, aut si nunquam factum est, fieri non posse
concede.*

XXXI. Haec tenus *Argumenta Scripturae*. Sequuntur jam *Rationis*,
quorum machinis ne incauti ab Adversario obruamur omnino ca-
vendum est. Manibus, itaque pedibusq; eò contendendum, ut tela
prævisa in caput Antagonistæ partim retorquere, partim objecta
confringere possimus.

XXXII. *Ἀδυναμίαν* autem implendi Legem destruere allabo-
rat Bellarminus (N) *Ex operibus supererogationis*, rectius verò super
arrogationis dixeris, ita argutans: Si homo plus potest facere, quam
Deus præcepit, utique multò magis Legem Dei implere potest. At-
qui verum est prius ex *Matth. 19. 21. E. & posterius*. Sed proba-
tio Antecedentis falsa est; etenim non propterea Salvator dixit,
εἰ θέλεις τέλει εἶναι, ὑπάγε, πώλησον σὰ τὰ ὑπάρχοντα: quasi
responsionem Pharisei approbaret, perfectionemq; illam (fortè exter-
nam) quam insolenter sibi arrogabat, pro absoluta Legis impleti-
one reputaret. Sic enim natura humana lapsu Adæ jacturam non fe-
cisset, nec Christi redemptione, & satisfactione opus fuisset; sed ut
vanam adolescentis jactantiam retunderet, ipsiq; , quanto adhuc
intervallo à perfectione legali abesset, ostenderet. Declaratur hoc
simili: si quis morbo laborans falsa sanitatis persuasione *Φάρμα-
κον* sibi à Medico præscriptum respueret, Medicus verò signum
reparatæ valetudinis peteret, inquiens: si ergò sanus es, cur-
re ut videam. Eodem modo Christus Phariseum affatur: *si vis esse
perfectus, quemadmodum arroganter crepas*, fac periculum perfectio-
nis tuæ vendendo hæreditatem paternam, eamq; inter pauperes
erogando. Invertendum igitur potius *Antecedens*, quia homo non
potest implere Legem, multò minus plus poterit præstare.

XXXIII. 2. *Ex proprietate Legū*. Si præcepta essent impossibilia,
neminem obligarent, ac per hoc præcepta non essent: neque enim
fingi potest, quomodo aliquis peccet in eo, quod vitari non potest.

Pulchrè hoc procederet, si homo culpâ suâ frâtu innocentia non excidisset, atque ita, quod absolute, & inse δυνάτων erat, ex hypotestē δυνάτων fecisset. Quid enim? num obligatio cessat, si quando debitor luxuria, & prodigalitate sua ad extremam paupertatis lineam adigitur? num Creditor debitum ab hæredibus exigens injustitiæ potest argui? absit. Deus itaque rectè repetit à natura quod ei dedit, & quod sibi justè debetur.

XXXIV. *Ex suspitione tyrannidis, & stultitia.* Si Lex esset impossibilis sequeretur, Deum omni tyranno esse crudeliorem, quippe qui ab ipsis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo pendere posset, & Leges ferret, quas sciret à nemine observandas. Eadem recurrit responsio, quod sc. non sint ἀδύνατοι ex se, & sua natura, quæ Deus præcepit, sed ex vitio subjecti. Deinde neque benignissimus Pater post primævæ integritatis naufragium debitum hoc à nobis, tam exigat, quàm ejusdem nos admonet, ut inde ad agnitionem nostræ infirmitatis, & ἀδυναμίας excitati, meritum Christi tanquam sacram anchoram apprehendamus, studiumq; vitæ novæ promptitudine obsequendi mandatis divinis sincerè declaremus. Ab aliis verò, qui extra Filium ex operibus Legis salutem adhuc quærunt, rigidissimè etiamnum repetit, & in judicio extremo ob justitiam, cui satisfieri vult severissimè exiget.

XXXV. γ. *Ex efficacia passionis Christi.* Si filius Dei passus & mortuus est, ut justificatio Legis in nobis impleretur Rom. 8. 3. sequitur aut nos Legem implere posse, aut Christum per mortem non obtinuisse quod voluit: posterius sine impietate asseri nequit, E. prius verum erit. Non negamus verè hunc finem esse missionis, & passionis Christi, ut τὸ δίκαιωμα Legis in nobis impleatur. Non autem fieri debet à nobis in Christo per satisfactionem perfectam; sed à Christo in nobis per imputationem gratuitam, cui spiritus renovationis individuo nexa est conjunctus, ut non amplius secundum carnem; sed spiritum ambulemus. Rom. 8. 4. quam inchoatam obedientiam accedente peccatorum condonatione Pater propter propter filii meritum pro perfecta impletione in credentibus reputat.

XXXVI. δ. Ex

XXXVI. 7. *Ex completionē voluntatis divina.* Si Lex à nobis implere nequit, frustra quotidie petimus: Fiat voluntas tua. Non enim fit unquam voluntas Dei in terra, sicut in celo, etiam si Christo Magistro freti hanc orationem assidue frequentemus, nec unquam verè obediunt Christo, ac per hoc nulli nostrum erit causa salutis. Malè confundit hic Bellarminus τὸ fieri, & facere. Oramus ut fiat voluntas Dei, non ut nos faciamus eam, id est, ut fiat in nobis, non ut per omnia fiat à nobis, quia non permittit conscia carnis infirmitas, ut in hoc ævo ad summam perfectionem perveniamus: τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀδρανής. Deinde τὸ facere voluntatem laxiori, implere verò legem strictiori significato accipitur: Illic vox sonat Evangelica, hic tonat legalis: Illic δουρικρατοῦ πατρῆα una insinuantur, hic ἀκεραιότητος Legi tantum urgetur. Facere igitur voluntatem Dei non simpliciter, sed cum discrimine hujus, & futuri seculi est intelligendum, ita ut hic fiat inchoatè, illic, ubi erimus ἰσογυλοὶ consummatè. Sic etiam petimus: Adveniat regnum tuum, licet certi simus, quod non eadem mensura in hac mortalitate ad nos veniat, quàm olim in patria fruemur, ubi de facie ad faciem intuebimur, quod jam in ænigmate videmus. Nec tamen frustra coelum precibus fatigamus, quia indies in renovatione, & sanctificatione nostra uberiores gratiam consequimur, quando petimus: dimitte nobis debita nostra, quo certè non indigeremus, si voluntas Dei in Lege patefacta exactissimè à nobis impleretur. Denique expressè Hebr. 5. 9. asseritur, Christum obedientibus sibi verà fide Rom. 1. 5. & sincera vità Act. 5. 29. factum esse æternæ salutis.

XXXVII. 7. *Ex donatione Spiritus S.* In quibus Spiritus S. fructus illos parit, qui numerantur Gal. 5. 22. Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, illi non accusantur à Lege, atque ita eam implent. Atqui Spiritus S. in renatis parit illos fructus &c. Ergo. Respond. Fallaciam Cause hic committi. Renati enim non propterea non accusantur à Lege, quod perfectè eam impleant; sed quod Christi impletio fide ipsis imputeretur. Nec sequitur, quod per consequens annectitur: Non accusantur à Lege, ergo perfectam ei obedientiam

dientiam præstant. Quasi verò eam, quam Lex requirit, justitiæ perfectionem in hac mortalitate sibi quis promittere posset, cum *primitiis Spiritus tantum accipiamus* Rom. 8. 23. cum Spiritus S. operetur in corpore peccati, & mortis Rom. 7. 24. adeoq; pro capacitate subjecti, & modulo infirmitatis perficiat; hinc est quod *ἡμεῖς καὶ ἡμεῖς* renovatione indigeamus. Licet igitur *ipsam fructuum Spiritus substantiam* Lex non accuset, *qualitatem* tamen, seu *imperfectionem eorum*, malumq; in carne habitans inculsat, non ad damnationem; sed peccati agnitionem.

XXXVIII. 7. *Ex natura, & conditione filiorum Dei. Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, nec potest peccare* 1. Job. 3. 9. *Omnes justificati sunt nati ex Deo.* Ergo. Resp. duplici ratione renatum posse considerari, primùm *in habitu gratiæ*, ita quia nutum, & ductum Spiritus S. alacri animo sequitur, & semen Dei in corde suo fovet, peccatis succumbere nequit: deinde *in statu nature*, ita fragilitatis humanæ vitium ostendit, siquidem sentit in carne sua fomitem peccati, unde gemebundâ cum Sanctis voce conqueritur. *Delicta quis intelligit? ab oculis munda me* ps. 19. 13. Quare *re dupliciter verba ista sunt explicanda*, ut talis inde emergat sensus: *Omnis, qui natus est Deo, in quantum natus est ex Deo*, in quantum Dei semen in eo manet, ille contra conscientiam sceleribus malitiosè non indulget, ita ut excusso Spiritu S. mancipium fiat Diaboli v. 8. Hinc ipse Apostolus distinguit inter *peccare, & peccata habere*, inter *peccare ex ignorantia, & peccare ex malitia*. Secus enim si sentiret, propria vineta caderet, quando c. 1. 8. ait: *Ἐὰν ἐπιωμεν ὅτι ἀμαρτίαν ἐκ ἔχομεν, ἑαυτοὺς πλανώμεν, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐκ ἐστὶν ἐν ἡμῖν.* Atque ita quoque argumenta rationis expediimus.

XXXIX. Succedit venerandorum *Patrum autoritas*, qua tandem Bellarminus Dux, & Antesignanus Romanensium pro facultate implendi Legem, tanquam pro aris, & focus militat. Sed frustra forsân viris cordatis ea affingit, quæ cogitare ipsis religiosum, asserere fortè nefas fuit. Putamus enim, si securaræ hypotheses supponantur, illos non contradicere nostræ assertioni, 1. *Non ex verbo uno atque altero minus congruo scripta eorum esse explicanda*, in quibus ingenuè sapius fatentur, quod etiam renati labe sua non careant,

careant, & sanctis quotidie sit orandum: ἄφες ἡμῶν κύριε τὰ ὀφει-
 λήματα ἡμῶν. Hinc nulla ipsis ex bonis operibus solatij, & justifi-
 cationis spes potest affulgere, quia imperfecta sunt, carnisq; vitiis
 contaminata. 2. *Affirmare, Legem esse impletu possibilem* (α) Respe-
 ctu *absolutæ possibilitatis*, secundum quam Deus nobiscum non
 agit. (β) Respektu *concreata perfectionis* in qua homo Legi Dei
 cum generali tum speciali de non comedendo vitæ arboris fru-
 ctu satisfacere potuit (γ) Respektu *divinæ gratiæ*, quâ non tantum
 ardens in nobis obsequendi mandatis Dei studium accenditur; sed
 etiam ipse Christus suam nobis per fidem imputat obedientiâ æquẽ
 acti ipsi eam præstitissemus. (δ) *consummationis in altera vitâ*, de
 qua eleganter Augustinus c. 36. de spir. & lib. Præceptum illud di-
 lectiõnis in illa vita complebimus, cum videbimus ἄ facie ad faciem.
 Sed idẽ nobis hoc etiam nunc præceptum est, ut admoneamur, quid
 fide exposcere, quo spem præmittere, & obliviscendo quæ retrò sunt, in
 quæ anteriora nos extendere debeamus.

SECTIO TERTIA.

ΚΑΤΑΚΕΥΗ.

XL. Destructis adversæ partis machinis, idem nobis, quod so-
 lertissimis belli Ducibus incumbit, ut vallis ac fossis castra nostra
 adversus hostium insidias muniamus. Virium itaque nostrarum
 imbellicitatem, & insufficientiam humillimo animo agnoscentes
 Deo ter Opt. Max. honorem integrum, inviolatumq; servamus, cui
 tantum detrahi certum est, quantum viribus humanis tribuitur, &
 adscribitur.

XLI. Ne verò in castris nostris plantè inermes videamur, primò
 gladium spiritus τὸν λόγον τῆς θεῆς τομίαντες ὑπὲρ πάντων μάχα-
 ρων δισμοῦν arripimus ex Act. 15. 10. Nunc ergò quid tentatũ Deũ im-
 ponendo jugũ super cervicẽ discipulorũ, quod neq; patres nostri neq; nos
 portare potuimus. Huc tendunt & alia clãssica Scripturæ dicta Rom.
 8. 7. τὸ θεὸν μη καταρακός Legi divina non subicitur. Eph. 2. 1. Omnes
 mortui sumus in peccatõ. Neque Gal 3. 21. data est lex quæ posset vi-
 vificare. Imò, non est homo justus super terram, qui faciat bonum, &

C

non

non peccet Eccles. 7. 21. Nec justificabitur in conspectu Dei ullus' vi-
vens Ps. 143. ipsi etiam renati cum Paulo fatentur se imperfectos
Phil. 3. 12. in carne sua non habitare bonum Rom. 7. 18. & cum Johanne:
si dixerimus, peccatum, non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in
nobis non est. 1. Job. 1. 8. Unde evidentissimè patet, neminem, ne
sanctissimum quidem virorum parem fuisse oneri Legis ferendo.
Quis ergo jamde viribus suis quantumvis renovatis tantum sperare
posset, cum isti viri inoffenso pede viam mandatorum Dei currere
non potuerint.

XLII. Nec movet nos, quod hic excipiunt Romanenses, dicta
citata de non renatis loqui, qui viribus naturæ Legem Dei implere
omniñò non possunt, interim renatis gratiam Dei habentibus præ-
stitum id esse facile. Sed quomodo quæso ratio non sit generalis, cum
loca allegata sint generalia, & ad omnes homines se extendant, qui
ἀνατιπρήτως, καὶ ὁμοῦ παραδόν ex propria dictorum, factorumq;
conscientia profiteri coguntur, se exactissimam illam omnium
virium, & actionum cum Lege Dei conformitatem in se desidera-
re, ideoq; mandatis divinis perfectissimè obtemperare non posse.
Deinde excipit Bellarminus locum illum Act. 15. agere tantum
de Lege Ceremoniali, quod nos negamus (α) Ex scopo, v. s. enim
duplicem quæstionem motam fuisse constat: 1. An circumcisio ad-
huc obliget gentes 2. An observatio Legis Moralís ad salutem sit neces-
saria. Ad priorem respondent Apostoli, Circumcisionem non am-
plius attinere gentes, paucas tamen Ceremonias Legales ab iis obser-
vari volunt propter evitacionem scandali, quod Judæis ad Chri-
stianismum conversis inde oböriri poterat: Hinc continentiam à
fornicatione, quæ Ethnicis teste Terentio pro peccato non habeba-
tur, eò etiam referunt. Ad posteriorem regerunt, Legem Moralem
obligare quidem renatos ex gentibus ad obedientiam, opera tamen
illius non valere ad justificationem, utpote quæ ex sola gratia Dei
in Christo proposita pendeat. (β) Ex contextu, qui Ceremonia-
lem tantum hic intelligi prohibet, quia addit fornicationem, quæ
extra controversiam Legis Moralís est. Deinde quomodo de Cere-
moniali simpliciter dici potest, quod sit jugum importabile, cum,
portari possit, & à plurimis etiam hypocritis portatum fuerit (γ) Ex
opposita

opposita gratia, illa Lex hic innuitur, quæ opponitur gratiæ justificanti, & salvanti v. 12. atqui hæc non est Ceremonialis; sed Moralis Gal. 3. & 4. (d) *Ex historia Act. 13. 38.* Cum enim Paulus, & Barnabas concionem habuissent Antiochiæ de justificatione per fidem, Pharisei autem Antiocheni ex Lege Mosaica justitiam esse sectandam propugnassent, hinc τὸ κενὸν μόνον ortum est, quod in concilio Apostolorum fuit decusum. (e) Ex parallelismo, ubi Paulus hujus controversiæ occasione disputat hominem non justificari operibus Legis, sed sola fide in Christum Jesum. Non ergo de Ceremoniali tantum, sed Ceremoniali, & Morali est intelligendum.

XLIII. *Secundo* canam, & sanam Rationem producamus, & neminem viribus sufficientibus ad Legis impletionem instructum esse evincimus, *N. A natura Legû*, quæ omnimodam, & exactissimam, conformitatem, & perfectionem tum quoad internos motus, & affectus, tum quoad externos actus, & effectus requirit. Quoad illos ut diligamus Deum sine remissione *ardentissime*, sine reprehensione *perfectissime*, sine intermissione *constantissime*, & si quid aliud diligamus, id propter ipsum, in ipso, sub ipso, & juxta ejus voluntatem diligamus. Hoc præcipit Deus Deut. 6. 5. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex omnibus viribus tuis. Nullam igitur *vita nostra partem relinquit, quæ vacare debet, & quasi locum dare, ut alia re velis frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illo rapiatur, quo totus dilectionis impetus fertur August. l. 2. de doct. Christi c. 2.* Quoad hos ut deoventibus nos beneprecemur, odio nos prosequentibus beneficiamus. *Matth. 5. 44.* imò vel ipsam animam (si res tulerit) pro fratribus ponamus *1. Job. 3. 16.* id est vitæ cum periculo ipsorum commoda promoveamus.

XLIV. *3. A causis subjecto internis.* Quot enim quæso homini renato in hoc fragilitatis statu adhærent defectus? quod cogitationum & motuum pravorum monstra cum ipso colluctantur, perfectæq; justitiæ valla, & aggeres obvolvunt. Laborat *intellectus* defectu *scientiæ, & cognitionis*: ex parte enim agnoscit, & per speculum quasi & ænigma cernit *1. Cor. 13. 12.* Laborat *voluntas* defectu *justiæ delectationis in bono spirituali, defectu potentiæ bonum ele-*

dum perficiendi: τὸ μὲν θέλειν παρέχειται, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν ἔχει εὐρίσκει Rom. 7. 18. Quid dicam? totus homo, qualis, quantus laborat dispositionibus ad malum, quas Apostolus nec verbis satis exprimere posse videtur, dum modò Legem membrorum ἐνπεπραπυόμενον τῷ νόμῳ τῶ νοός; modò corpus peccati, modò malam concupiscentiam, malumq; inhabitans illas vocat Rom. 7. v. 7. 8. 23. 24.

XLV. 3. Anecessaria, & universali omnium sanctorum confessione, & ad petendam peccatorum remissionem obligatione. Prodeunt harum infirmitatum testes viri in V. T. sanctitatis laude conspicui, seq; à perfecta Legis impletione longissimè adhuc abesse conquerruntur. Verè, enim inquit Iobus, novi, quòd non justificabit se homo coram Deo, si velit cum eo contendere, non respondebit ei ad unum ex mille c. 9. 2. 3. David quoque suum addit symbolum, ps. 19. 13. Delicta quis intelligit, ab occultis munda me ps. 32. 6. Propter hoc (remissionem peccatorum) rogabit te omnis justus. Eadem querela fatigat viros N. T. Paulum Rom. 7. 14. Ego carnalis sum, venundatus sub peccato. Jacobum c. 3. 2. In multù offendimus omnes. Imò Johannes 1. Ep. 1. 8. mendaces illos appellat, qui dicunt se non habere peccatum. Nec si à peccatis immunes essemus, opus esset à Deo quotidie remissionem peccatorum efflagitare. Undè sic infero: Si renati Legem implere possunt, liberi sunt à peccato, ideoq; peccatorum remissione non indigent. Posterius per allegata loca ἀμήχανον, E. & prius tale erit. Rationem consequentiæ probo, quia, ubi peccatum non est, ibi nec ἀνομία, ubi ἀνομία non est, ibi cum Lege divina conformitas, ubi hæc ibi opus non est petere remissionem peccatorum.

XLVI. 7. Ab eventu, & experientia. Quia inter tot renatorum, pro virili ex gratia concessa annitentium myriadas ne unus quidem dari potest, qui Legem de facto perfectè impleverit. Nam si vitam omnium Patriarcharum, & Sanctorum tam V. quàm N. Testamenti excutiamus, neminem certè invenièmus, qui non labentius infirmitatem suam fateri, quam Legis divinæ omni ex parte gloriolam falsò, & stolidè sibi arrogare malit. Unde sponte fluit, ne potuisse quidem, nec vires renatis à gratia infusa communicari, qui-
bno

*bus Legem perfectè impleant, quia obstat imperfectio, seu defectus
subjectorum.*

XLVII. ¶ *Ab officio Christi Mediatorio.* Si renatus etiam post
concessam imputationis, & sanctificationis gratiam implendæ legi
sufficeret, non opus fuisset Christi merito, *duplex* Christus, & sine
causa mortuus fuisset Gal. 2. 21. Sine causa se tot laboribus, tot
molestiis, & angustiis exposuisset. At posterius falsum esse testatur
Apostolus Rom. 8. 3. *Quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur
per carnem, id Deus præstitit filium suum mittens in similitudine car-
nis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne v. 4. ut justifica-
tio impleretur in nobis.* Frustra igitur est Bellarminus dicam scribens
Lutheranis, quod Christi meritum, inefficax faciant, statuendo,
ipsum tam insigni obedientia efficere non potuisse, ut *de* *divina* *lege*
legis in nobis impleretur. Sed Resp. distinguendo inter *rem*, & *rei*
modum: illam non negamus, hunc verò rectius explicamus asse-
rentes justificationem impleri in nobis *non in habione, sed in imputa-
tione, non operibus, sed fide, non consumativè, sed inchoativè.*

XLVIII. Accedunt *tertiò* Testimonia ipsorum *Adversariorum*
tum directè, tum indirectè *advocantur* implendi Legem proban-
tium. *Directè* & expressis verbis probat Lombardus l. 3. *sentent.*
*dist. 27. Illud præceptum (Diliges Deum ex toto corde &c.) non
penitus impletur ab homine in hac mortali vita, sed ex parte, non ex
toto. Thomas Aquinas Doctor ille Angelicus in c. 3. ad Gal. lect. 4.
addit. Nullus potest Legem servare hoc modo, quo Lex præcipit. Et
mox: Implere Legem est impossibile. Quid de ipso Bellarmino dicam?
anne privata ipsius meditationes à disputationibus dissentiunt?
quamadmodum videre est ex verbis supra ps. 130. Si iniquitates,
que sunt debita nostra, in tuo libro rationum diligenter custodias, ut
exigas de illis rationem, nemo nostrum tibi satisfaciet: idèd peto, ut
cas de libro tuo deleas, & misericorditer indulgeas cum solvendo non
simus.*

XLIX. *Indirectè* illam ex hypothesebus & concessis astruunt di-
cendo 1. Neminem in hac carne corruptibili vivere, aut vivere pos-
se sine peccato *Actuali*, Bellarm. l. 4. c. 12. quod si verum est, sequitur,
nullum hominem posse implere Legem Dei: quid enim aliud pec-
catum

eatum Actuale est quàm *avopia*, & transgressio Legis? Nec dantur
 in se, & sua natura (quod excipit Adversarius) peccata venialia,
 sed omnia morte, & damnatione aeternâ sunt digna, quia summum
 & infinitum bonum offendunt. 2. *Hominem in hac vita non posse esse
 certum de gratia Dei.* Sed quare de gratia divina, & salute sua du-
 bitaret amplius renatus, si exactissimam illam, quam Lex requirit,
 obedientiam non tantum attingere, sed etiam superare valeret.
 L. Itaque testante Scriptura, probante Experientia, dictante con-
 scientia absoluta in hoc fragilitatis statu impletio non erit exspe-
 ctanda; Sed in altera illa vita perfectissimè Lex aeterna servabitur,
 & illa duo praecepta de diligendo Deo, & proximo non in lectione, sed in
 ipsa perfecta, & sempiterna dilectione tenebimus. Augustinus l. 1. Re-
 tract. c. 16. Quando non amplius adorabimus, sed gustabimus, non
 perspicimus, sed apprehendemus patriam, nec suspirabimus de longè
 saluantes. O veritas! exsulum patria, exsiliij finis video te; sed intra-
 re non sinor carne retentus, nec dignus admitti peccatis sordens.
 Bernhardus sermone 70. in Cantic.

πάντων δόξα Θεῷ.



U dederas vires homini, Rex maxime,
 jussis
 Obsequium prestare tuis; poscis tibi praestet,
 At desunt vires; veteris contagia noxae
 Impediunt. Ni tu venisses Christe Redemptor
 Ac legem implésses, Brebi nos poena maneret.
 Obstrepis his frustra mala mens. At tu RADIGINI
 Christi is defensum nomen. Tu pergito vera
 Defensare, feres doctorum premia laurum.

Johannes Quistorpius D.
 & Theol. Facult. Senior.

Nemo

Nemo implere potest summo conamine legem.
Ergò Evangelio gratia major inest.

congratulationis ergo faciebat.

Petrus **Dreyer**/

Hattersfl. Hoff.

Legem implere Dei nostris par viribus olim
Res erat, humanum post superavit opus.
Christus agens hominum partes suffecit abundè
Implendæ legi; Sic sibi nostra salus,
Nixa ejus meritis, constat; quod ritè, virorum.
Doctorum acceptò calculò, Amice, doces.
Aggrederis rem laude vehi dignam. Deus adsit
Ipse tuis cæptis. Hinc tibi surget honos.

l. m. q. fac.

Jacobus Fabricius.

Dithmars.

Dum legem impleri non posse, ostendis apertè,
Imples hoc ipso munus, Amice, tuum.

Staius Crugerus, Slev.

Non humana potest vis ulla satisfacere Legi.
Verane simpliciter, dic FRIDERICE, Thesis?

*En! praeferre potest omnes Pharisaeus abundè
exteriùs Leges, exteriùsque nitet!*

*Jussa mali Divi, Legem Manichaeus abundè
(nonne vides?) sese solvere posse putat!*


Actum

Actum Pelagius. *Sed vim Caelestus & actum.*
Semi-que-Pelagius corda parare jubet.
Euagrius, Catharus, verum, iustumque *Jehovam*
poscere; sed facili mente juvare putant.
Non adeò rigidas Servetius atque Photinus
adspiciunt Leges. Arminiusque probat.
Nec modò possibilem; facilem quin dicere Legem
hant dubitat Schwenckfeld, suave-ciensq; jugum.
En! infusa Papam titillat gratia, amorque,
(forte sui!) hoc Legi praestat opimus opem!
Imò en! Christus homo potuitne satis dare Legi?
Numquid vera tamen, dic FRIDERICE, Thesis?
Sed cerebrum purgent alij! Te vera sequuntur,
namquae vera sient, dulcis Amice, probas.
Tu Thesin. Haereticos. Messiam. hominemq;
potentem
adstruis. enervas. excipis. inde negas.

Haec ex lege amicitiae
Dn. RESPONDENTI, de Legis impletione,
contra Legis perversores, secundum
leges agenti, legabat

Matthias Burchardi,
Kilone, Holfatus.






XXII. Denique luce clarius est, quod ut
ad Rom. 8. 1. *Nulla damnatio est in his, qui sunt*
quia non imputatur prævaricatio; sed quia
nem ambulant, & quia per gratiam Dei fit, ut
in ipsis. Verba enim illa (*qui non negati sunt*)
cuncta causam, cur maledictio in ipsis locum
habent eos tantum qui non sunt sub maledictio
non contrariatur nobis; nam in his impletur
his non imputata prævaricatione obedi-
catur.

XXIII. *Secundam* argumentorum Classe
agunt de dilectione Dei & proximi. Rom. 13.
Legem implevit. Item Gal. 5. 14. *Omni*
pletur: ἀγαπᾶτε τὸν πλησίον ὡς ἐαυτὸν
nos Legem implere posse, quia debemus, &
mumq; diligere. Sed *præus ex debito*, quo
gimur, postèrius autem in viribus nostris esse
qualiscunque, & quantulacunque dilectio
tisfacit, sed *salu & tanta*, quæ ne minimam
quæ in sitam, & amaram cupiditatis radicem
dit igitur Antagonista *fallacia Compositioni*
gendo ea, quæ simul vera in hoc statu esse
dilectionem *in se, & abstractè, non verò con-*
gem implere: vitium enim corruptæ naturæ
tit cum dilectionis gradum, quem Legis &
imbecillitatis memor Deus Opt. Max. non
nihil amplius exigit, quam ut præviâ obe-
ditione hic in via sincerè diligere incipiamus.

XXIV. Nec à sede nos deturbant reliquæ
pro sua sententia stabilienda promittit ex Job.
omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem
& Job. 15. 14. Vos amici mei eritis, si feceritis
præcepi autem vobis v. 12. ut diligatis alii a-
quæ hic collectio? discipuli Christi debe
Christi, ergo possunt eandem penitus ex
B



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.